Dissertatio

de

personis quibusdam a Martiale commemoratis

qua orationes

ad celebrandam memoriam virorum illustrium

Jacobi Friderici a Rhod
Friderici a Groeben
Joh. Dieterici a Tettau

diebus XXI et XXIII Maji et XXIII Junii
h. s.

in auditorio maximo habendas

indicit

Ludovicus Friedlaender
P. P. O.

die XII Maji.

Regimonti Prussorum.
Typis Academicis Dalkowskianis.

M. Valerius Martialis quum annos XXIII natus anno p. C. 63 vel 64 Romam venit,

Atria Pisonum stabant cum stemmate toto
Et docti Senecae ter numeranda domus.

(IV 40). In clientelam familiae Senecarum ex Hispania originem ducentis, quae et opulentissima fuit et cultu litterarum insignis, poetam advenam se contulisse consentaneum est. Ex magna illa domo Domitiano imperante fortasse una Polla Argentaria, Lucani uxor superstes fuit: in cujus clientela Martialem permansisse videmus, quum eam reginam suam appellet X 64. Etiam familiaritas quae ei cum Q. Ovidio intercessit, in domo Senecarum nata esse videtur. Nam Ovidius amicus vel cliens Caesonii illius Maximi fuit qui in amicitia L. Annaei Senecae locum primarium tenuit, cf. epp. 87, 2. Hunc a Nerone in Siciliam relegatum Ovidius comitatus est, qui modo noluerat consulis ire comes (?), illique fuit Senecae quod fuit ille suo VII 44 sq. Ejusdem Ovidii diem natalem Martialis celebrat IX 52 sq. ac quum senex iter in Britanniam ingressurus esset, proficiscentem amicum carmine X 44 prosecutus est. Ovidius rus Nomentanum possedit Martialis ruri vicinum VII 93 cf. I 105 IX 98 XIII 119. Quum autem recordamur etiam L. Annaeum Senecam magnum et pretiosum Nomentanum possedisse (Plin. H. N. XIV 48—52 Seneca epp. 104. 110), vel ipsum vel ejus heredes hujus praedii particulas quasdam Ovidio et Martiali donasse non sine quadam veri similitudine suspicabimur.

Senecarum, Pisonum, Memmiorum (de Memmio Regulo cos. 63 cogitandum est) et Crisporum priorum (Vibius Crispus videtur intellegendus esse — XII 36, 8) benignitatem et liberalitatem Martialis provectiore aetate saepe cum desiderio recordatus est. His exceptis, ex libris epigrammaton ei tantum patroni nobis innotescunt, quos Martialis Domitiano imperante coluit; e quibus nonnullos hoc loco recenseamus.

E carminibus quibus Silium Italicum cos. 68 celebravit (IV 14 VI 64, 10 VII 63 VIII 66 XI 48 sq.) unum commemoratu dignum est VIII 66: quod

nondum recte videtur intellectum esse; novissimus certe editor prave in clausula v. 5 distinctionem posuit, quam in exitum versus sequentis transposui.

Augusto pia tura victimasque
Pro vestro date Silio Camenae.
Bis senos jubet en redire fasces
Nato consule, nobilique virga
Vatis Castaliam domum sonare
Rerum prima Salus et una Caesar.
Gaudenti superest adhuc quod optet,
Felix purpura tertiusque consul.
Pompejo dederit licet senatus
Et Caesar genero sacros honores,
Quorum pacificus ter ampliavit
Janus nomina: Silius frequentes
Mavolt sic numerare consulatus.

Apparet Domitianum a. 94 quo hic liber editus est, alteri filio Silii consulatum dedisse, sed Silius eundem honorem etiam alteri filio impertitum iri sperabat, et hoc modo fore ut domus sua tribus consulatibus ornaretur. Hac ratione principis indulgentia cum filiis honorem communicare maluit, quam ipse solus ter consulatu fungi, ut Pompejus et Agrippa.

Eos quos Martialis V 28 ut exempla variarum virtutum proponit, omnes contemporaneos esse, vix est dubitandum:

Ut bene loquatur sentiatque Mamercus,
Efficere nullis, Aule, moribus possis:
Pietate fratres Curios licet vincas,
Quiete Nervas, comitate Rusones,
Probitate Macros, aequitate Mauricos,
Oratione Regulos, jocis Paullos.

Cognomen Rusonis a Martiale hoc uno loco commemoratum potest ad gentem Cremutiam pertinere (Plin. epp. VI 23 cf. IX 19); vel etiam ad Calvisiam, quum in actis fratrum Arvalium a. p. C. 87 inter pueros patrimos et matrimos in sacrificio ministrantes (senatorum filios: Henzen Scavi p. 62, 27) nominetur Rusonis (filius) P. Calvisius (Ibid. p. 43, 51. cf. p. 47). Quo de Paullo cogitandum sit equidem nescio; etiamsi enim constaret nonnulla epigrammata ad Paullum scripta ad unum eundemque pertinere, ne inde quidem multum lucraremur, quoniam ubique solo cognomine appellatur. Ac potest quum hoc loco

tum V 22 ubi Paullum in Esquiliis habitare audimus, de Velio Paullo cogitari, qui sub Domitiano proconsul Bithyniae fuit (Plin. ad Tr. 58. 60); quem Domitiani bello Dacico interfuisse docet Martialis IX 31. De aliis epigrammatis ad Paullum scriptis v. Mommsenium in Jndice Pliniano sub Velius Paullus. Ex novis Arvalium tabulis praeterea novimus L. Vettium Paullum cons. suff. inde a Kal. Maiis a. 81 (Henzen Scavi etc. p. 37 sq.).

Curiorum nomen (nam haec codicum scriptura est, quam Douza in Curtios mutavit „ne claudicet scazon", de Curtiis Montanis cogitans) corruptela irrepsit. Sed quum cogitabam, par illud fratrum, pietate insigne illo tempore non posse non notissimum fuisse, Martialem autem pietatem fratrum Domitiorum Tulli et Lucani plus semel celebrare I 36 IX 51, olim persuasum habebam hoc loco eosdem esse intellegendos. Nec me fefellisse sententiam, nunc ex Mommseni Jndice Pliniano didici, cui notitiam pleni nominis Domitii Lucani debeo, quod exstat in titulo Orelliano 773: Cn. Domitius Afer Titius Marcellus Curvius Lucanus. Apud Martialem igitur fratres Curvios restituendum est.

Nervam (VIII 70 IX 26) et Regulum (I 12, III; II 20, 74, 93 cett.) transeo; Junium Mauricum anno 89 quo hic liber editus est (v. Hirschfeld, Goetting. gel. Anz. 1869 p. 510), nondum in exilium actum esse apparet. Macer cujus probitatem hoc loco Martialis extollit, idem esse videtur, cui poeta librum X misit cum viae Appiae curator fuit (X 17):

Mensorum longis sed nunc vacat iste libellis:
Appia, quid facies, si legit ista Macer?

Hoc munere perfunctus, legatus Aug. pr. pr. Dalmatiae factus est, et Martialis carmine X 78 (quo tres locos Horatianos rettulit Lehrs Horaz p. LXVII adn.) amicum in provinciam abeuntem prosequens, iterum ejus integritatem et probitatem praedicat:

Ibis litoreas, Macer, Salonas.
Ibit rara fides amorque recti
Et secum comitem trahet pudorem.
Semper pauperior redit potestas (?). *)
Felix auriferae colone terrae,
Rectorem vacuo sinu remittes
Optabisque moras et exeuntem
Udo Dalmata gaudio sequeris.

*) Fortasse ante hunc vs. aliquid excidit.

Postquam Dalmatiam rexit, Baeticae proconsul fuit, siquidem ad eum pertinet XII 98, ubi Baetin sic appellat:

> Ominibus laetis vestras *Instantius* oras
> Intret et hic populis ut prior annus eat.
> Non ignorat, onus quod sit succedere *Macro*.
> Qui sua metitur pondera, ferre potest.

Unum igitur tantum annum Macer Baeticae praefuerat. Instantius qui ei successit, *Instantius Rufus* est, quem Martialis precatur VII 68 ut carmina sua socero (nobis ignoto) commendet; a quo phialam dono accepit, descriptam VIII 51; quem si victura petat carmina dare sibi jubet quod amet (VIII 73); Musaei pathicissimos libellos ut legat hortatur XII 95.

Ut autem ad Macrum redeam qui vere anni 101 quo liber XII Martialis editus est (Mommsen Hermes III 126) Hispaniam jam reliquerat, fortasse *Baebius* ille *Macer* est, qui a. 103 vel 104 consul designatus erat Plin. epp. IV 9, 16, cf. Mommsen ib. p. 45. et Plin. ib. 12, 4; ad quem Plinius epistulam de avunculi studiis III 5 scripsit. Extremis Trajani temporibus praefectus urbi fuit Vit. Hadr. c. 5.

Celer ille qui Celtas rexit Hiberos VII 52, 3 i. e. legatus Aug. pr. pr. prov. Hispaniae citerioris fuit ante a. 93, cujus Decembri liber VII editus est, non potest esse Maecius Celer, quem Statius *a sacratissimo imperatore missum ad legionem Syriacam*, ut in praefatione libri III dicit, carmine III 2 prosecutus est. Sed hic quem Statius *juvenem* appellat III 2, 122 (liber III initio a. 94 editus est), et qui

> puer sudavit in armis
> Notus adhuc tantum majoris munere clavi,
> Jam tamen et turmas facili praevertere gyro
> Fortis, et Eoas jaculo damnare sagittas,

fortasse est L. Roscius Aelianus Maecius Celer, qui cos. fuit a. 100 Henzen-Orelli 3569 = 4952. Apud Martialem num L. Pompejus Vopiscus C. Arruntius Catellius Celer cos. 72 intellegendus sit, de quo v. Marinium Atti p. 149 et 234 et Henzenium l. c. p. 36, nemo dixerit.

Stertinius Avitus, vir clarissimus, qui Martialis imaginem in bibliotheca sua posuit (IX praef. X 96) consul fuit a. 92 Henzen-Orelli 6446. *Venulejus* IV 82

cui Martialis libellos per Rufum quendam misit rogans ut otia parva sibi imputet immemor paulum curarum operumque suorum fortasse est L. Vennlejus Apronianus cos. 92 Henzen 6446 cf. Marini Atti p. 193. Etiam C. Julius Proculus (XI 36) ad cujus nitidos lares Martialis librum suum primum misit, hortans ne metuat fastus limenque superbum (I 70) e proceribus fuit, cognatus ut videtur cum Q. Julio Proculo (Q. enim non C. est in titulo Orelli 2273 cf. Henzen III p. 192) qui quaestor Augustorum Nervae et Trajani a. 97 fui (Huebner de Senatus Populique actis p. 32) et usque ad consulatum pervenit (cf. Huebneri adn. ad CIL II 2349). De Terentio Prisco, ad quem Martialis ab urbe in Hispaniam venientem librum XII misit (Maecenatem suum appellat XII 4), et in cujus reditum e Sicilia scripsit VIII 45, nil afferre possum, nisi eundem sine dubio esse, cui Plutarchus librum de defectu oraculorum dedicavit. Apollinaris qui Formianum possedit X 30 et cujus doctum judicium magni se facere Martialis affirmat IV 86 VII 26. 89 XI 15, num sit Domitius Apollinaris cos. designatus a. 97. Plin. epp. IX 13, 13 (Mommsen l. c. p. 37 adn. 4) aeque incertum est, ac num Sparsus Martial. XII 57 is sit, quocum Plinius scripta sua communicare solebat IV 5 VIII 3. Ceterum quum Sparsus apud Martialem v. 19 Petilianis delicatus in regnis habitare dicitur, Cui plana summos despicit domus montes: fortasse domus illa antea Q. Petilli Cerealis fuerat, de quo v. Haackh St. R. E. V 1392. Atticum ad quem est etiam IX 99, hoc modo appellat VII 32:

Attice facundae renovas qui nomina gentis,
Nec sinis ingentem conticuisse domum.

Hic igitur quum originem ducat e gente quum nobili tum litteris clara, fortasse pro Pomponio Attico haberi potest. (Julius Atticus Plin. epp. I 12, 10).

Etiam Flaccus adulescens (puer appellatur IX 90, 4) quem Martialis hortatur, ut Maecenas temporum suorum fiat VIII 56, si non nobilis certe dives fuit. Ad eum referenda sunt IV 42 VII 87 VIII 45 IX 55 et 90 X 48 XI 80, fortasse etiam XII 74; alibi num de eodem Flacco cogitandum sit incertum est. Poeta Flaccus Patavinus (I 61, 4 et 76) pauper videtur fuisse.

---

*) CIL II 5023 (ex agro Olisiponensi): M. Terent. | P. f. Gal. | . Prisci.

END OF
REEL
PLEASE
REWIND